



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Digressio 49. Cur 3. loco de odoratur differatur, ad tex. com 129.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

possumus; quoniam odorabilia exactè non percipimus; sed iucundo solo, & modesto ea discernimus. A quibus si odores nominemus, non illorum naturam, sed modum, quo efficiunt sensum, significamus. In cæteris sensibus non solum cognoscimus hoc esse iucundum, aut molestum; sed etiam dicimus esse colorem viridem, aut album; saporem dulcem, aut amarum; eodemque modo in sonis, & tactilibus qualitatibus.

Quare tribus modis homo à bestiis odoratu superatur. Primum, quòd illa magis remotum odorem sentiunt; ut vultures. Deinde, quòd vel minimo odore mouentur. Tertio, quòd plures odorum differentias percipiunt, quas homo nullo modo sentit. Quorum utrumque manifestum est in canibus ferarum vestigia persequentibus, amicumque ab inimico; & dominum ab alio quouis, cæterisque bestiis filios odoratu dignoscenibus: & hominem propterea statim Philosophus comparabat animalibus duos habentibus oculos.

Tertiam illorum verborum interpretationem habes apud Themistium. Ut sentire odores cum oblectatione, aut fastidio, argumèto sit huc in nobis sensum imbecillum esse, & infirmiore omnino, quàm cæteros, qui nec delectatione, nec fastidio à suis afficiuntur obiectis. Quod Plutarchum quoque sensisse scribit Simplicius. Quàm hæc interpretatio sit probanda, viderint alij. Certè si molestia affici imbecillitatem argueret, ego de oblectatione, & voluptate non idem affirmarem: præsertim cum pugnancia sint, nec ex eadem causa proficisci queant. Deinde minùs verè dici arbitror, reliquos sensus à suis obiectis oblectatione, aut molestia non affici. Sed omnes potius video proportionatis, & moderatis obiectis delectari, & ab extremis, atque immoderatis perturbari, ut molestia affici. Delectatur aspectus colore viridi, & moderata luce; auditusque consonantia, & harmonia; & gustatus dulci sapore; ac demum tactus ne quapiam molli, & benè temperata. Contrariis verò omnes magnopere offenduntur.

Sensus omnes obiectis suis delectari, vel molestia affici.

Digestio XLIX. Cur tertio loco de odoratu differatur.

Verùm inchoatam interpretationem cogor tantisper interrumpere. multos. n. video primis hæc Philosophi verbis magnopere perturbari; nec parùm mirari, cur hoc loco de odoratu agere aggrediatur. Si enim (inquiunt) tam est hic sensus in nobis imperfectus, & oblat; si tam incerta, & obscura odorum natura; cum is profiteatur se notiora persequi, atque ab illis ad ea, quæ ignotiora sunt, progredi: cur non antea de tactu, & gustatu differuit, qui certiores multò sunt sensus; deque illorum obiectis, quæ magis cognita, atque perfecta habemus?

Ego verò horum hominum argumentatione ne tantillum quidem commoueor, neque à suscepta interpretatione eorum me vnquam oratio reuocabit. Nam & veteres omnes sequar interpretes, qui aut aduersus hanc Aristotelis methodum ne hincere quidem ausi sunt; aut eam magnopere comprobauerunt. Philoponus namque post aspectum, & auditum, odoratu tertium locum tribuendum fuisse demonstrauit; ut ita huius sensus cognitio, atque explicatio in vniuersa hac

A sensuum contemplatione esset media, quemadmodum is inter omnes sensus est medius, ut in libro de sensu, & sensili cap. 5. affirmat Aristoteles. Est enim medius tum operatione, tum obiecto, & natura. Nam si operationem consideres, aspectus & auditus obiecta sua sentiunt vel remotissima. & aspectus magis, quàm auditus, quòd spirituales sensus sit. Gustatus, & tactus non nisi planè coniuncta; quòd maximè materiales sint. Odoratus media virtus est, & conditio: quippe nec tam propinquum obiectum postulat, nec tantopere distans, sed medio quodam modo positum persentiscit. Obiectum porò, ex quo tota sensuum natura iudicari debet, ipsum quoque medium est. Quoniam aspectus quidem circa colores, & lumen versatur: lux in tota hac elementari regione ignis propria qualitas est, colorque ex luce cum opaco, & perspicuo permixta gignitur. Auditus autem percipit sonos, qui sunt aëris. Gustatus sapores, & succos, qui sunt aquæ: tactus dura, solida, & terrea prorsus corpora. Odoratus versatur circa halitus, qui mediæ cuiuspiam naturæ sunt. Medix (inquam) aut inter terram, & ignem, ut halitus siccus; aut inter aquam, & aërem, ut vis, qui est humidus.

Neque his quisquam existimet disputationem illam aduersari ab Aristotele in cap. 2. libri de sensu, & sensili susceptam aduersus Platonem aliter aspectum esse ignis. In ea namque de organo quaestio est, non de obiecto: oculumque aquæ, & ignis, naturæ esse optimo iure contenditur. Hoc autem loco non de organo, sed de obiecto, deque facultate per se considerata nobis est sermo. Et nisi Plato sententia suæ argumentum ex oculo deduxisset, facile posset rotam illam controuersiam, si que componi.

Cæterùm hoc quoque intelligere potuissent illi, qui hanc in sensibus pertractandis methodum criminantur. Hominem quidem animalia cætera tactu superare, quòd perfectiorem habeat qualitatum tactilium temperationem, eumque maxime tum temperatam, tum delicatam: & idè etiam gustatu; quoniam gustatus est quidam tactus. Tactum tamen nequaquam esse cæteris sensibus certiorum, cum is materialis maximè sit, & corporeus. Sed certiores esse aspectum, & auditum, de quorum altero scriptum est in præmio librorum Metaph. eum nos facere plurimum cognoscere, pluresque differentias manifestare: & de altero in libro de sensu, & sensili cap. 1. eum esse disciplinæ sensum. Quòd si secus eueniat, ut de odoratu præsertim hoc loco affirmatur; id non ex natura sensus euenire, quòd infirmior ea sit, & imbecillior: quia quòd minùs corporea est, magisque eleuata materia; èd est ad cognoscendum aptior. Verùm id ex accidenti fieri, neque culpandum esse sensum, sed organum, quod minùs benè affectum sensus operationem obtrundit, & hebetat; aut etiam organo impedit. Ita nimirum in odoratus organo rem se se habere superior commentarius declarauit.

Accedit, quòd hoc loco non considerantur sensus, quatenus in homine sunt, ut in de tractationis ordo deriuandus sit: sed vniuersè, & secundum suam naturam. Quæ etsi in homine sensus haberet, ob idque pars hæc tractationis futura nobis esset difficilior, minisque distincta non tamen propterea inchoata methodus à melioribus,

loribus, & nobilioribus sensibus ad deteriores, & inferiores defendenda erat. Quoniam odoratus tertium planè nobilitatis locum retinet, quàm ineptius in homine sortitus organum minùs pro dignitate, quàm in aliis quibusdam, operetur. Præsertim cum non magis aperta, & distincta futura esset hæc cognitio, si post gustatum, & tactum de odoratu dictum fuisset.

At magnopere vereor, immò ne vereor quidem, ne isti tam prompti Aristotelis calumniatores maiorem calumniandi anam habuissent, si postquàm de aspectu, & auditu, potissimis sensibus egisset, ordine perturbato, & quasi tumultuariè de omni abiectionissimo tactu dicendū suscepisset, odoratu in postremum locum relicto. Quoniam igitur aspectui, & auditui affinis magis est, & cognatus odoratus; minùsque sua natura materialis, quàm duo reliqui, gustatus, & tactus; sapientissimè agendum sibi tertio loco de odoratu constituit.

Denique cum etiam arbitror nonnullam organorum rationè habuisse. Ut eos primùm sensus explicaret, qui organum habent in capite certum, & constitutum; antequàm ageret de tactu, qui per corpus uniuersum diffusus est. Inter eos verò, quorum organa videntur in capite, priùs d' odoratu, quàm de gustatu, agendum sibi esse putauit: tum quia gustatus, cum sit quidam tactus, non erat à tactu separandus; tum quia odoratus organum magis est cum aspectus, & auditus organo situ & loco coniunctum. Tum quia magis est in exteriori facie conspicuum, quàm sit lingua, quæ tota in ore latitat. Nam etli proprium odorandi organum non sit hic nasus, qui in media facie videtur; sed intra cranium contineatur; sicut nec videndi organum exterior est oculus tunica, neque audiendi prominens ex capite auris: sed illius interior pupilla, huius abditissima membrana: certum tamen est naribus odorem suscipi, sicut, & aure sonus, & lux, aut color tunica cornea. Itaque tria hæc organa maximam omnino similitudinem & cognitionem habent: neque hanc ipsam ob causam tertij huius sensus consideratio fuit à prioribus separanda.

TEXTVS.

Εὐροστὸς ἐπὶ τῶν τῶν σαλευθῶν δαμά τῶν χρωμάτων, αἰσθάνειν, ἔχει τὸ διαβήλους αὐτοῖς εἶναι τὰς διαφορὰς τῶν χρωμάτων, πλὴν τῶν φανερῶν ἁπλοῶν. Ἐποὶ τὸ τῶν ἀσπίων τῶν ἀδρῶπων ἕως.

Tex. 93 Rationi autem consentaneum sit, & que duos oculos habent, sentire colores; & non manifestas ipsis esse colorum differentias, nisi terribili, & non terribili. Sic autem & odores hominum genus.

COMMENTARIVS CXXX.

Quemadmodum se habeat homo ad odores sentiendos, exemplo illustrat eorum animalium, quæ præduros oculos habent; vt cancri, locustæ, pisces, & similia. Illa propter organi ineptitudinem minùs exactè, & distinctè colores, & eorum differentias percipiunt. Neque exiles quosuis

A sentiunt, aut aspectabilia discernunt, eorum proprietates, & naturas cognoscendo; hoc (inquam) esse album, illud nigrum: sed terribili solum, aut non terribili distingunt.

Quod duobus modis interpretari licet. Aut quod à vehementi quopiam obiecto afficiantur terrore, à tenui, & exili ne moueantur quidem; quòd dura, terrea, ac propemodum opaca membrana mitiorem, ac paulò magis moderatum obiecti motum non admittat. Aut ita, vt non terribile accipiendum non sit pro simplici negatione; sed pro obiecto contrario illi, quod est terribile: ita vt nihil quidem sentiant, nisi vehemens; quia durum organum magno indiget motu: sed illud aut terrorem potest incutere, aut non incutere. Atque ita hæc duo respondebunt optimè molesto, & iucundo, quæ in hominis odoratu prioribus verbis tanquam ambo positia nominata sunt.

Sic enim prorsus nobis euenit in odoratu, vt propter prauam organi conditionem odorum naturas, & proprietates minùs cognoscamus, nec earum singulas; sed solum penes voluptatis, aut molestiæ affectum distinguamus. Et vt colorum illa, sic odorum nos non proprias, speciales, & essentielles; sed communes, generales, & accidentarias quasdam differentias animaduertamus. Accidit enim colori, & quidem generaliter, terribile esse, aut non terribile: & odori item molestum esse, aut iucundum. Animalia cætera, quæ meliores habent, & puriores oculos, albū quoque, & nigrum, cæteraque colorum differentias percipiunt. Nam canes, equi, & aues quædam, suos agnoscunt dominos; nec odore solum, sed colore discernūt scenum animalia aut panem. Eodè que modo ad odores cognoscendos habere se se videntur animalia illa; quæ certius habent, & exactius odorandi organum. Quare vt se habent ad colores animalia, quæ duris sunt oculis; ita se habet ad odores homo: & vt ad colores homo, & ea, quæ puros, ac sinceros habent oculos; sic ad odores canes, vultures, & animalia ea, quæ optimè odorari existimantur. Quæ omnia ex alia, atque alia organi, tum videndi, tum odorandi, dispositione nascuntur.

Quod verò dixit Philoponus, verbum illud (rationi consentaneum) idcirco fuisse additum, quòd incertum esset, verissimile tamè, animalia illa, quæ duros habent oculos, non exactè à coloribus moueri; minùs omnino probo. Nā id nullo modo incertum esse poterat. Tum quòd re ipsa constat, ea, nisi vehemens fuerit obiectum præsens, perinde se se habere, ac si nihil adesset. Neque enim accedūt, neque recedunt, neque villo modo mutantur. Tum quia manifesta ratione ita esse concluditur. Quoniam si motus obiecti tum in medio, tum in organo, pro diuersa illorum dispositione facilis aut aegrius suscipitur; certissimum est vehementiore ibi opus esse motu, vbi minor fuerit dispositio; duròsque, ac propemodum opacos horum animalium oculos minime aptos esse ad lucis, & colorum motum suscipiendum, qui perspicuum prorsus subiectum postulat. Immò propterea rationi consentaneum esse affirmavit Philosophus, vt ea minùs exactè cognoscant, & distinguant colores; quia cum ineptum, ac planè obscurum habeant oculum, minùs apta sunt ad obiectorum motum suscipiendum, eaque acutè percipienda.

TEXTVS.

Επειδὴ ἀλλήλων ἔχον ἄρετας τῶν ζῴων ἡ ἐπιείκεια τῶν εἰδῶν ἢ ἡ γλυκύτης ἢ ἡ ὀξύτης. ἀλλ' ἀνεκβεβήκειν ἔχουσι τῶν ζῴων, διὰ τὸ οὐ τῶν ἀρετῶν ἡμεῖς τῶν ζῴων εἰ ἔχον τῶν εἰδῶν τοὺς ἀνθρώπων ἀνεκβεβήκειν. Ἐν γὰρ τῷ πνεύματι δεύεται πολλὴν τὴν ἔσθον καὶ τὴν ἀφροσύνην, πολλὴν δὲ δόξαν διακρίστας ἀρετῶν. διὰ δὲ ὁμοιωμάτων ἔστι τὸ ἴδιον. οὐ μόνον δὲ τὸ ἴδιον ἀλλὰ καὶ ἀνθρώπων πνεῦμα τὸ εἰσακτικὸν εἶναι εὐφραδίας, καὶ ἀφροσύνης, καὶ ἀνοησίας. οἱ δὲ μάλιστα οἱ πρὸς ἐκκλησιαστικοί, ἀφροῦσι τῶν δόξων. οἱ δὲ μαλακώτεροι, εὐφραδίας.

Tex. 94 Videtur enim proportionem habere ad gustatum: & similiter saporum species ad eas, quae tunc odoris. Sed exquisitorem habemus gustatum, quod ipse quidam tactus est. Hunc enim habet sensum homo exquisitissimum: in aliis enim inferior multus est animalibus: tactu autem multo, quam cetera, excellentius percipit. Quare & prudentissimum animalium est. Signum autem, quod & in hominum genere secundum sensorium hoc ingeniosi sunt, & non ingeniosi: secundum autem aliud nullum. Duri enim carne, inepti mente, molles autem carne bene apti.

COMMENTARIVS CXXXI.

I Am ergo cum tam rudis, & imperfectus in nobis sit odoratus, tamque difficilis odorum cognitio; opportunum fuerit alio iuari certiori sensu. Semper enim ex notioribus ignotiorum cognitio querenda. Sanè vtilitissimum est ex effectu manifesto, & conspicio occultam inuestigare causam. Sed & saepe in disciplinis tradendis iuamur iis, quae antea fuerint explicata: sicut in exponendo auditu vsus est nis Philosophus, quae de aspectu tradita fuerant. Interdum etiam ad ea nos conuertimus, quae cum illis, de quibus agitur, similitudinem, & proportionem, seu coniunctionem quampiam habeant; si alioqui eorum cognitio fuerit nobis facilior.

Ode-
tus, &
gustatio
cognatio

Hoc igitur nunc agit ad gustatum & sapores se se conuertens, quibus ad odoratus & odorum cognitionem vtetur plurimum. Nam odoratus similitudinem quamdam, & analogiam habet cum gustatu; & odorū species cum saporum speciebus. Tum quod bestiis odoratus datus est propter gustatum. Tum quod utraque qualitas, & sapor, & odor, ex iisdem principiis oritur, humido, siccoque permixtis: & ad eadem elementa pertinet, autem, & aqua, tamen si humidi magis, & aqua sit sapor; sicci potius, & aeris odor. Hinc est, quod & odore dignoscunt animalia cibos, & odoratu sectantur. Et in ca. 5. lib. de sensu, & sensibili scriptum est; odorem esse affectionem quandam alimenti; omnique saporum esse odoriferum, & contra: ac demum odorū species simul cum saporum speciebus distingui, tum in suaves, & molestos; tum in dulces, & amargos; in pingues, & acres; austeros, & acetebos; iisdemque vtrobique nominibus appellari. Quare (inquit Simplicius) vt odoratus ad odorabilia, sic ad gustabilia gustatus se habet: & vt odoratus ad gustatum, ita odorabilia ad gustabilia. Est tamen in nobis certior, & exquisitior gustandi sensus, quam odorandi. Et ideo ex gustati, & gustabilibus non parum iuari possumus ad odoratum, & odorabilia dignoscenda.

Cum autem gustatus certior sit, & exquisitior, ea est causa; quoniam is est quidam tactus (non enim gustamus sapores, nisi tangendo, linguae que

Admouendo; sicut tactu sentimus calidum, aut frigidum, molle, aut durum) tactum autem habet homo certissimum, & exquisitissimum. Quod nequam intelligendum est reliquorum sensuum comparatione; ne cum Philopono labores, cur de aspectu primum egerit; sed praeter ceteris animalibus. Vt cum odoratum antea dixerit, multis nos animalibus deteriolem habere, ea omnia nunc tactu a nobis superari subiungat. Quod aperte satis ostendit ea, quae sequitur, probatio. Eum enim sensum in nobis esse exquisitissimum hac oratione confirmat, quod in reliquis quidem sensibus ab animalibus multis superatur homo: at tactu multo, quam cetera, διακρίστας ἀρετῶν, hoc est excellentius, & perfectius, exquisitè, & exactè percipit. Quare & prudentissimum omnium animalium est. Immo solus, vt mente, sic prudentia valet: siquidem per se habitus mentis constituitur in 2. ad Nicomachum lib. in reliquis vestigia potius quaedam, aut naturae instinctus cernitur. Est autem vna, & eadem prudentia, & perfectionis tactus communis causa, carnis mollicitudo: causa inquam, non efficiens, sed materialis potius, aut instrumenti, quo vtitur anima. Potest & prudentia nomine hoc loco solertia & sagacitas ad ea peragenda, quae aut ad esse aut ad bene esse animalis pertinent, intelligi.

Quare ad hunc modum ratio cinatur. Qui inter homines carne sunt molles, ingenio valent, iisdemque tactum habent exquisitum: at molliorem homo habet carnem, quam animalia cetera: magis igitur ingenio, prudentia, tangendique facilitate valet. Nam quibus tenuis est cutis, & caro mollis, & vinacem omnino habent tactum, quo qualiter quamlibet paulo magis excellentem sentiunt: & ingenio valent, atque ad prudentiam, & disciplinam omnes sunt apti: neque id aliunde melius iudicatur. Propterea quod optimam habent, & delicatissimam corporis temperationem; vnde optimus, & tenuissimus gignitur spiritus; vt ait Themistius, facilius funditur, expeditiusque discurrens per corpus, functiones omnes promptissime, ac perfectissime exequitur. Et vt habet Philoponus, facile incrementa dissoluntur, & receduntur: quae si nimium abundant, phantasia, & vim ratio cinandi perturbant, & obtundunt. Quibus vero caro dura est, & tardissimus est sensus, nec nisi à vehementioribus obiectis permouetur, & inepti prorsus mente existimantur. Nam & crassum, ac penè terretium, tardum, & inertem habent spiritum; atque excrementosum & graue corpus phantasiae & mentem magno pere impedit. Quocirca stupidos homines μαζοδερμους, id est crassipelles appellant Graeci, sunt in extremo quoque capite 16. lib. 1. de part. an. cum rursus ob causam tradidit Aristoteles carnem homini mollissimam factam fuisse, quod maxime omnium animalium valeat sensu tactus. Et Aegyptius sacerdos apud Platonem in Timaeo temperatas regiones dixit prudentissima ingenia procreare: propter meliorem scilicet corporis temperationem.

Mentem autem hoc loco διάνους Philosophus appellauit. Ex quo illud confirmatur, quod alibi adnotauimus, vocem hanc intelligentem illi partem significare, tantumdemque valere, ac hōi.

Optimè ex sensibus ad intellectum docet nos Philosophus ratio cinari. Quoniam enim non natura, operatio certe illius quam dicitur est tactus corporis, à corporis sensibus pendet; quoque perfectior